



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica**

**Huet, Pierre Daniel**

**Parisiis, 1679**

II. Probatur ejus γνησιότης & antiquitas.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-16260**

PROPOSITIO IV.

193

II. Sed & sequentibus proxime seculis cognitus hic Liber & usurpatus est. Nam *Probatur*  
pronuntiati istius è primo capite : *Generatio preterit, & generatio advenit*, germanum il-  
lud est Sirachidæ : *Generatio alia finitur, & alia nascitur*. Sententia hæc Ecclesiastis : *Non* eius genere *est enim homo justus in terra, qui faciat bonum & non peccet*, Salomoni tribuitur in libro  
*Regum*. Multa ex eodem libro Ecclesiastis ad Ethnicos manasse à Grotio observatum  
est. Nam Sirachida antiquior Homerus cum dixit : *οὐα τε δι οὐέρχωμεν, Duo simul cun-*  
*tes, annon respexisse videtur ad illud Ecclesiastis : Melius est ergo duos esse quam unum?* Hom. Iliad. K<sub>4</sub>  
Theognis cum dixit :

ἀρχέω μὲν μηδ φῦσαι θλιψίονος ἀξιότω,  
φῶσαι δέπος θύσαι πόλες αἰδανοὶ περῆσσαι.

Optimum hominibus omnino non nasci,

*Natum vero quam citissime portas Orci penetrare.*

referre eum voluisse dicas hæc Ecclesiastis : *Et laudavi magis mortuos quam viventes, &* Eccl. 4. 2.  
*feliciorum utroque judicavi qui necdum natus est : atque item ista : Melior est dies mortis* Eccl. 7. 2.  
*die nativitatis : quod effatum Euripides quoque usurpavit. Qui cum scriberet :*

οὐ λαμπωσεῖς αἰθέρ, ήμέτες ἄγρον φόδος

οὐδὲ λαλούσῃς.

*O lucidum astera ! diei parum lumen*

*Cernere quam suave est!*

& rursum : *οὐδὲ τὸ φῶς βλέπων, Suave enim est lucem cernere : nonne ipsis fere verbis*  
repndit illud Ecclesiastis : *Dulce lumen, & delectabile est videre Solem ? Horatianum* Eccl. 11. 7.  
denique istud :

*Quid sit futurum cras, fuge querere ; &*

*Quem fors dicrum cunque dabit, lucro*

*Appone :*

Horat. Carm.  
libr. 1. Od. 9.

& rursum hoc :

*Tu ne queferis scire, nefas, quem mihi, quem tibi*

*Finem Dii dederint, Leuconōs ;*

numquid ex hoc expressum dicas : *Quid necesse est homini majora se querere, cum igno-*  
*ret quid conducta sit in vita sua, numero dictum peregrinationis sue, & tempore quod ve-*  
*lut umbra præterit ? aut quis ei poterit indicare quid post eum futurum sub Sole sit ? Tum ad*  
*istud etiam capitis sequentis : Laudavi igitur letitiam, quod non esset homini bonum sub* Eccl. 8. 15.  
*Sole, nisi quod comedaret, & biberet, atque gauderet, & hoc solum secum auferret de labo-*  
*re suo in diebus vite sue, quos dedit ei Deus sub Sole ; allusione videtur eadem Ode Ho-*  
*ratius :*

*Sapias, vina lique, & spatio brevi*

*Spem longam resces : dum loquimur, fugerit invida*

*Atas : carpe diem, quam minimum credula postero.*

Quibus & ista ejusdem consonant :

*Ille potens sui,*

*Letusque deget, cui licet in diem*

*Dixisse, vixi ; cras vel altra*

*Nube polum pater occupato,*

*Vel Sole puro.*

Horat. Carm.  
libr. 3. Od. 29.

III. At gravissimis argumentis Libri hujus oppugnatur dignitas & *prædictio*, quo-  
rum validissimum cuditur ex allatis proxime verbis, quibus ad vitam belluarum ritu tran-  
sigendam incitantur homines, & ad fruendas voluptates, qua ex gustu, aliisque  
corporeis sensibus percipiuntur : quasi sit unus ille vita fructus, neque aliud labo-  
rum suorum ac virtutis premium homo sperare possit. Quod non semel hoc Libro  
iteratum reperias. Sed & haec graviora : *Idcirco unus interitus est hominis & jumentorum,* Primum ar-  
*& aqua est uiriisque conditio : sicut moritur homo, sic & illa moriuntur : similiter spirant seq.* gumentum.  
*omnia, & nihil habet homo jumentum amplius. Cuncta subjacent vanitati, & omnia pergunt ad*  
*unum locum : de terra facta sunt, & in terram pariter revertuntur. Quis novit si spiritus*  
*filiorum Adam ascenda sussum ; & si spiritus jumentorum descendat deorsum ? Et deprehendi*  
*nihil esse melius quam letari hominem in opere suo, & hanc esse partem illius. Quis enim*  
*eum adducet, ut post se futura cognoscat ? Similia sunt isthac : Viventes enim sciunt se esse* Eccl. 9. 5.  
*moriuros ; mortui vero nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem, quia oblivioni*  
*tradita est memoria eorum : & ista quoque : Quodcumque facere potest manus tua, instanter* Eccl. 9. 10.  
*operare ; quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erant apud Inferos, quo tu pro-*  
*pereras. Quæ sunt ejusmodi, ut prisci Ebræorum Rabbini non tantum in Thalmudico*  
*libro בְּנֵי capite tertio, ausi sint dicere Ecclesiasten manus contamineate, sed de eo*  
*etiam repudiando penitus & abjiciendo aliquando deliberaverint ; quemadmodum est*

Bb